

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Consolacio o
cum fonte primo

Noli mala tua facere tibi grauiora
et te querelis onerare.
Leuis dolor est si nil illi opinio adiecerit;
econtra si te exhortari ceperis ac dicere,
nichil est aut certe exiguum est; duremus;
iam desinet, leuem illum dum putas facies.
Omnia ex opinione suspensa sunt;

tam miser quisque quam credit.

Seneca LXXXVIII. epistola.

Noli mala tua facere tibi ipse graviora
et te querelis onerare:
levis est dolor si nihil illi opinio adiecerit.
Contra si exhortari te coeperis ac dicere
'nichil est aut certe exiguum est; duremus;
iam desinet', leuem illum, dum putas, facies.
Omnia ex opinione suspensa sunt;
non ambitio tantum ad illam respicit
et luxuria et avaritia: ad opinionem dolemus.
Tam miser est quisque quam credidit.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae
morales*, 78.13-14 (L. Reynolds ed., vol.1,
p.252, ll.11-17).